

Por. VII. *Scriptura S. asserta non solum omnibus fortuna bonis, sed & ipsi vitæ sunt præferenda.* Quia ipse Christus Judæis ita commendat *Scripturæ scrutinium*, ut eos, qui ad se, sc. per fidem, *Hebr. XI. 6, in s. literis traditam, Job. XX, 21*, venire nolunt, *vitam æternam obtinere non posse*, affirmet. Audiebant, ceu oves Christi fidelissimæ, hanc ejus vocem primitivæ Ecclesiæ *Martyres*, ad mortem usq; constantes, *Ap. II, 10*, qui, cum *Diocletiani edicto* codices sacri tradi juberentur, *potius corpora carnificibus, quam sancta dare canibus maluerunt*, juxta, *Martyrol. Rom. ad d. 2. Febr. Conf. B. Jos. Arndii Lexic. Antiq. p. 1096. & Jac. Götten Obs. lib. I. p. 69.* Qua constantia in ruborem dant non solum sui temporis *Traditores*, à traditione s. literarum ita dictos; sed & quoscunque, verbum divinum, ac fidem in eo traditam, abnegantes, spernentes, negligentes!

Por. VIII. *Omnes Scripturam scrutantes meritò debent studere pietati; Verum exinde non licet inferre: Quic. non studet pietati, non potest scrutari S. literas, & verum eorum obtinere sensum.* Prob. prius, quia *ἐπεωᾶν* h. l. tale scriptum pro objecto habet, quod cognitionem tradit veritatis ad pietatem tendentis, *Tit. I. i. neq; absq; gratia Spiritus S. illuminante cognoscitur.* Posteriùs, quia Christus jubet scrutari *Scripturas* Judæos istos, qui ad ipsum venire volebant, atq; semet ab iis inveniri posse ostendit. Quod si considerarent hodierni *Novatores*, fors plurimarum controversiarum recentissimarum esset obstructus.

Por. IX. *Sicut linguarum notitia maximi merito est faciendâ, cum ipsarum vocum ac phrasium à Spiritu S. adhibitarum, quibus nobis sensus verus sistitur, naturam ob oculos ponat; ita quoq; cognitio Philo- sophiæ spernenda non est; cum tam instrumentales habitus, quam principales, ad scrutinium s. literarum, veri- que sensus contra hostes defensionem, aliquid conferant.* Quod quæ ratione fiat, inter alios deduxit *B. Pfeiff. Thes. Herm. cap. V. & XIII.*

Por. X. *Fallum est, quod mutatio & emendatio voluntatis præcedat intellectus notitiam.* Sic Christus Judæis præcipit, ut *scrutentur Scripturam S.*, & testimonium ejus de semet percipiant, atq; tunc veritatem istam assumant. Quanta verò mala ex antithesi illa *Indifferentistarum* prefluant, ostendit in *Præf. Dissert. Examen libelli Licht und Recht! Magn. Dn. Præses meus.*

Por. XI. *Libri Symb. merito in pretio sunt habendi.* Nam si genuini sunt, nihil aliud exhibent, nisi sensum S. literarum, per debitum earum scrutinium inventum. Vid. præter alios doctils. *Dis-*